


Heinrich Rahn

**Decanus Facultatis Iuridicae, Henricus Rahne ... ad Inauguralem Disputationem  
Dn. Joachimi Petersen/ Lubecensis, die XXIII. huius Mensis Martii habendam ...  
officiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76644838X>

Druck Freier  Zugang








Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7



Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18







# DECANUS

FACULTATIS JURIDICÆ,

HENRICVS *Rahne* / J. D.

& Prof.

suo & Dominorum Collega-  
rum nomine

*ad*

INAUGURALEM DISPUTATIONEM

DN. JOACHIMI *Petersen*

LUBECENSIS,

*die XXIII. hujus Mensis Martij*  
*habendam,*


MAGNIFICUM DN. RECTOREM,

Dnn. Professores, ac omnium

Facultatum ordinumq; Cives Aca-

demicos, nec non cæteros literatos &  
literatorum fautores

*officiosè invitât.*



ROSTOCHII,

*Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1647.*





L. S.

**R**

Everſus eſt ad hanc noſtram Acade-  
miam Vir eximius atq; inſignis Dn.  
JOACHIMUS Peterſen / LUBECEN-  
ſis, poſteaquam in aliis tam ſuperio-  
ris, quam inferioris Germaniæ lycæis  
aliquot annos conſumpſit. Haſtenus enim & ab  
eo, quo hinc abiit, tempore, vixit Helmſtadl, Ul-  
trajecti, Colonia Agrippinenſis, Argentorati &  
Regiomonti. Quibus in locis quod inhoneſto tur-  
piq; otio honeſtas occupationes prætulert, do-  
cent docebuntq; amplius multarum rerum ma-  
giſtræ, dies & experientia. Eo autem animo rediit ad  
nos, ut eodem literarum domicilio, quo antè fun-  
damenta ſtudiorum ſuorum Academicorum je-  
ciſſet, præmium exantlati laboris caperet: ut, ubi  
bonum feciſſet initium, ibi optimum ſectaretur ſi-  
nem, & extrema cum primis conjungeret: ut de-  
niq; Roſtochl, me meiq; Dn. Collegis pronubis,  
Aſtrææ Virgini, reginæ Virtutum, deſpondere-  
tur, & nexu perpetuo cum illa copularetur, quam  
Roſtochl capiſſet deperire. Eâq; ob cauſam nobis  
non ita pridem nomen ſuum profeſſus eſt, & ſum-  
mos in utroq; jure honores decenter ambiit. Cui  
honeſto admodum petito deeſſe nec volumus,  
nec

Universitäts  
Bibliothek  
Rostock



nec potuimus : quippe quos nullum in or-  
 nandis bonis locum aut tempus prætermitte-  
 re decet. Quemadmodum verò in sagata militia nemo  
 coronari solet, nisi prius fortiter pugnaverit: ita  
 nec in togata ad dignitates evehitur, qui non ante  
 probatus est & exploratus. Virtutis enim & eruditio-  
 nis ornamenta non nisi benè merentibus tribui,  
 convenit & æquitati, quam colimus, & ju-  
 stitiæ, cui servimus. Levitatis est non parvæ,  
 inanem aucupari rumorem, omnes umbras  
 etiam falsæ gloriæ consecrari: majoris pro-  
 fectò, justum splendorem, qui est fru-  
 ctus veræ virtutis honestissimus, repudiare.  
 Contrà invidiosæ & perversæ mentis nota est, ad  
 triumphos, ad celebritatem, ad autoritatem, ad po-  
 steritatis memoriam pleno cursu tendentibus vi-  
 am præcludere, dignisq; mercedē denegare. Ne er-  
 go & nos notam illam incurreremus, hunc juris  
 & Æqui cultorem Candidatorum nostrorum nu-  
 mero adscripsimus, postquam profectus ejus inti-  
 mioris scrutiniij colloquio excussimus, & tantam  
 in eo juris scientiam & rerum cognitionem de-  
 prehendimus, ut dignus sit, qui in scenam publi-  
 cam prodeat, atq; ostendat, se non tam nostrâ indi-  
 gere commendatione, quam mereri incorruptas  
 benè iudicantium voces & consentientem bono-  
 rum calculum. Ut autem eò paratior in arenam



descenderet, & vel pugnae cupidis pugnandi animum daret, vel examinandi animo ad voluturum ipse examinis materiam suppeditaret, vel universae nostrae coronae se veritatis & iustitiae defensorem probaret, conscripsit **DISPUTATIONEM DE SPONSIONIBUS**, eamque publicitus jam exhibet. Ardua sane materia, & non vulgaris, neque cuivis obvia. Varia quidem sunt sponsionum genera, sed non omnia licita. Sponsionem facere licet, ait Marcianus. **I**ctus, sed ex aliis, ubi pro virtute certamen non fit, non licet. Hinc sponsiones, quae fierent super mulieribus praegnantibus, propterea quod ob eas supponi posset partus, **S**cto Parisiensi sublatas esse testatur cum Buignogno Tholosano. Olim, apud Graecos potissimum, qui litigare volebant, in sponsionem deponere cogebantur certam pecuniae summam. Eam intercedente stipulatione & actor & reus ante accusationem ad acta ferebat, victus vero utrorumque depositum persolvebat, illoque iudices fruebantur. Deponebant autem decimam partem aestimationis litis in causis privatis; in publicis vero quintam; & inde actionis species, *παρακαταβολή* dicta, oriebatur. Meminerunt etiam Latini Sponsionum judicialium. Sic Praetor apud Ciceronem jubet Quintium sponsionem cum Sex. Naevio facere: si bona sua ex Edicto P. Burrieni Praetoris dies XXX. possessa essent. Et alibi apud eundem legitur, cum esset Cæcinnæ



33  
cinna per Ebutium de fundo vi armatâ eiectus, Prætor interdixit, ut, unde detecisset, restitueret. Restituisse se dixit, sponsio facta est, hac de sponsione vobis iudicandum est. Eiusmodi autem sponsio fieri solebat hoc imprimis modo. Petitor ubi eum, à quo petebatur, aut intentionem aut rationem suæ intentionis inficiantem audivit, sponsione sacramenti istum provocavit, ni ita esset: quâ factâ reus petitorum vicissim provocavit. In hoc genere pecunia, quæ interponebatur, sacramentum; stipulatio & restipulatio sponsio dicebatur. Sed his relictis, ad aliarum sponsionum exempla veniamus. Primum suppeditat Cleopatram, famosissimam Ægyptiorum reginam, sponsio illa memorabilis, quâ Antonij sui, (sui dicimus, quia Phœniciam, Syriam, Cyprum & Ciliciam bonam partem, Judæam balsamiferam & Nabathæorum Arabiam in stupri mercedem ab eo acceperat) luxuriam ac fastum procacem eludere voluit. Cum enim quæreret, quid magnificentiam suam adstrui posset? respondit, unam se cœnam centies festertium absumpturam. Id fieri posse nequaquam existimabat Antonius. Ideoq; sponsionibus factis, postero, qui iudicio dictus erat, die illa opimam at quotidianam cœnam apponebat. Amasio futuram victoriam anxio simul & avido; computationemq; exoptulanti regerebat: corollarium fore, quod promississet, seq; non tot modò, quod antea dixisset, sed sexcenties festertium cœnaturam. Mox iussit secundam mensam inferri, unamq; vasculum aceti ita præparati, ut asperitate sua uniones in tabem posset resolvere. Huic immerfit unam ex aure, à qua dependebat singulare istud naturæ opus, detractam margaritam, ac confestim liquefactam absorbuit. Abligurire voluit eodem modo & alteram, sed iniecit ei manum sponsionis iudex L. Plancus, victumq; Antonium pronuntiavit. Et meritò: nam



centies festerium, id est ducenta quinquaginta millia aureorum uno secundæ mensæ ferculo erant profusæ & comestæ. An regium fuerit hoc Reginæ epulum, & an non cum dedecore conjunctum hoc portentosi luxus convivium, non est hujus loci disquirere. Licuit, quia libuit, sceptrum tenenti. Cui tamen, ut docet pessimi discipuli optimus præceptor,

id facere laus est, quod decet, non quod licet.

Pergimus ad alteram sponsonem, quæ quò inferior est priori, & quo longius ab ea abit, eo propius accedit ad honestum, majoremq; meretur laudem. Est autem hæc: Damoetas apud Virg. Eclog. 3. certaturus cantando cum Menalca provocat ad sponsonem pretii his verbis;

*Us ergo inter nos, quid possit uterq; vicissim*

*Experiamur: ego hanc vitulam (ne fortè recuses)*

*Depono: tu dic, mecum quo pignore ceres.*

Provocatus Menalcas vicissim ex sua parte, ne cedere aut detrectare certamen videretur, spondet & præmium nominat:

*De grege non ausim (ait) quicquam deponere tecum,*

*Est mihi namq; domi pater, est injusta noverca:*

*Bisq; die numerant ambo pecus, alter & hædos.*

*Verum ————— pocula ponam*

*Fagina, calatum divini opus Alcimedontis.*

Hactenus Sponso fuit contracta: sed ut sponsonis sit arbiter, & pignoris seu præmij custos, Palæmonem eligunt,

*Audiat hæc tantum, (inq. Menal.) vel qui venit, ecce Palæmon;*

*Efficiam, post hæc ne quenquam voce laceffas.*

Dam: *Quin age, si quid habes, in me mora non erit ulla,*

*Nec quicquam fugio, tantum, vicine Palæmon,*

*Sensibus hæc imis (res est non parva) reponas.*

Annuat Palæmon, & recepto pignore hanc certamini statuit legem:

*Dici-*



*Dicitē, quandoquidem (inquit) in molli consedimus herba.*

*Incipe Damæta, tu deinde sequere Menalca.*

*Alternis dicetis: amant alterna Camæna.*

Subsequitur ipsum certamen, quod tandem Palæmon, observator carminum sedulo, interrumpit, & pares agnoscens cantores pronuntiat sententiam:

*Non nostrum (ait) inter vos tantas componere lites:*

*Et vitulâ tu dignus, & hic: & quisquis amores*

*Aut metuet dulces, aut experietur amaros.*

*Claudite jam rivus pueri, sat prata biberunt.*

Clauderemus & Nos nostram de sponsionibus scriptiōnem, nisi tertium sponsionis celebratæ exemplum occurreret. Cæso ad Nanceium Lotharingiæ oppidum Carolo Burgundo, diu ignoratum fuit, ubi mansisset; sed reperi demum cadaver à quærentibus illatum est in jam dictam urbem. Gelu verò facies ita intumuerat, ut dignosci difficulter posset. Frater in primis Antonius, Physicus deinde ejus assenserunt, esse Caroli: puer, qui galeam Duci præferre solebat, testabatur corpus esse Domini: se enim, cum cecidisset, adfuisse ajebat, monstrabatq; cædis locum. Nilominus diu inter cæteros homines spes & metus variabant. Alii vivum abreptum in manus Regis Francorum pervenisse: alij fugâ elapsum, sponte exulatum abiisse, rediturum post definitum à se tempus ferebant. Mercatores magnâ levitate in eum casum & emebant & vendebant plurima, primum exsolvenda in ducis reditu. Cæpit, ut fieri solet, res in quæstum verti. Qui enim eâ conditione venderat rem æstimationis centum, ab aliis, illo suo facto in opinione confirmatis, submissō socio, emit, & quintuplum aut plus lucratus est. Atq; sic fat multa de sponsionibus: quibus unicum illud addimus, eas prisca Romanis fuisse usitatissimas. Sponsiones, inquit magnus Philologus Lipsius 2. Satur. vulgò interponebantur in gladiatoris ludis. Et hinc Ovid. de art.


*Dura*



*Dum loquitur, tangitq; manum, poscitq; libellum,  
Et querit, posito pignore, vincat uter.*  
Nec non Plautus in prolog. Casinæ:  
*Majoreq; operâ ibi serviles nuptiæ,  
Quam liberales etiam curari solent.  
Id ni fit, mecum pignus, si quis vult, dato  
In urnum mulsi, Pœnus dum iudex fiet:*

Neq; in ludicris duntaxat, sed etiam in seriis illas & concessas fuisse & validas, testes sunt Ulpianus & Papinianus. Verum enim verò hæc omnia ut & alia plura luculentius apparebunt cū ex *Disputatione de SPONSIONIBUS* à Dn. Candidato conscripta, tum ex discursu, qui ad diem 23. hujus mensis Martii in auditorio majori cum ipso super illa instituetur. Age igitur Magnifice Dn. Rector, agite Dn. Professores, Doctores, Magistri, artiū ingenuarū virtutūq; Studiofi & Cives Academiæ universi convenite stato die & loco frequentes, adeste benevolis animis, favete disputanti pro summo in jure tam Canonico, quam civili gradu & privilegiis obtinendis, & vel linguarum, vel auriū operam ipsi dicite & commodate. Id uti amicè atq; officiosè à vobis contendimus, ita Vos faciles nobis ac promptos fore confidim⁹. Dn. Candidatus, qui Dissertationē hanc de sponsionibus examini publico proponit, spondet simul atq; promittit unicuiq; vestrum suum obsequium studiumq; ad omnia, quæ vobis accommodata intellexerit, parata. Nos quoq; si, quam rogamus, gratiam apud nos iniveritis, sedulò nitemur, ne Vos de nobis optimè meritos pœnitere queat. P. P. sub Sigillo nostræ Facultatis,


die XIV. Feb. Anno clō lōc  
XLVII.













quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiae se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 1615. vagabundus quidam homo co-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Graecorum  
 jactans, adjumeto intercessionu, quas  
 te impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniae  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-  
 , poenam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 u assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publice jactaverat, quem postea  
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-  
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quae notissimum est illud Plau-  
 ptam forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut e bello rever-  
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

